



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 153. Si nullus adsit titulus accipiendi aliquid supra sortem, an sit usura mutuare cum spe aliquid accipiendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

fieret statim ante contractum mutui, talem contractum fore parum æstimabilem, & præsumi factum ad palliandam usuram.

Q. 152. *An sit usura, si mutuem Cajo debitum, quod ipsi erit facilis solutionis, mihi autem esset difficilis, v. g. Rex debet mihi 1000: , quos difficulter recipiam, Cajo autem habet facilem modum accipiendi à Rege, an possim Cajo mutuare illos 1000: , cum pacto, ut postea etiam 1000: mihi restituat.* R. Possè dicunt *Mol. t. 2. d. 361. n. 10. Less. l. 2. c. 21. n. 76. Lugo in resp. mor. l. 6. d. 8.*, quia tanti valoris in se erat illud debitum. *Nec obstat, quòd tale debitum acerbum, id est, difficile minoris æstimetur, etiam sæpe infra dimidium, ideoq; tu licitè potueris à me emere minori pretio, uti fatentur omnes cum Less. n. 74. nam non ideo tenebar ego minoris vendere, & poteram similiter ego pro eo acceptare æquale pretium, uti etiam fatentur communiter AA: cum Lugo & Less. n. 77.*

Q. 153. *Si nullus adsit titulus aliquid accipiendi supra sortem, an sit usura mutuare cum spe aliquid accipiendi.* R. *Affirmant Gabr. Silv. Med. Adr. Covarr.*, quia *Luc. 6. dicitur, date mutuum nihil inde sperantes, quod non est puri consilii, secundum dicta n. 849.*, Deinde *cap. Consuluit, de usuris additur, licet omni conventionione cessante hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, judicandos esse malè agere, & cogendos, ut restituant, sed probabilius negant S. Th. P. Nav. Sot. Mol. Less. Laym. supra n. 4.*, est enim licitum ante mutuum accipere aliquid gratis donatum, ergo etiam post mutuum, uti rectè argumentatur *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. in O.*, id autem licitè spero, quod  
licitè

licite possum acceptare, ergo. Scriptura & cit. cap. tantum damnant intentionem accipiendi aliquid supra sortem, tanquam ex justitia debitum ratione mutui, sic enim esset usura mentalis, foretque etiam obligatio restituendi, (nisi consideratis circumstantiis praesumi posset mutuatarium gratis dedisse, & non tanquam ex justitia debitum:), tum enim non voluisset dare liberaliter, & volens dare tanquam ex justitia debitum errasset in motivo ac substantia, consequenter donatio esset nulla.

908 Q. 154. An sit usura, si mutuans moneat mutuatarium de gratuita remuneratione. R. Affirmant Ric. Sot. Angles & alii, quia cum rubore necessitet ad remunerandum, est tantumdem ac coactio ad pactum implicitum. Contradicunt Caj. Mol. Bonac. Salon. & alii cum Dian. p. 1. t. 8. R. 62. Lopez d. 25. n. 30. Sporer n. 33., quia re ipsa non intercedit verum pactum, nec coactio, sed tantum petitur compensatio antidotalis, ad quam quis beneficium accipiens ex jure naturae tenetur, videtur enim equum & justum, inquit S. Th. Opuscula 73. de usuris. c. 4. ut beneficio exhibito reddatur ali- quod emolumentum, quamvis secundum rei veritatem non debeat talis beneficio aliquid ex justitia, nisi tantum ex gratia, quod est benevolentia & gratiarum actio. Dicit quidem Tambur. §. 2. n. 7., si sit nimis importunus in admonendo, esse usuram, quia mutuatarium cogitur dare, ut redimat vexam, Steph. autem t. 4. d. 9. n. 99. dicit spectandam esse mentem mutuantis, nam si intenderit non aliter mutuare, videtur intendisse causare obligationem in mutuatarium, quam postea urget, ergo erit usura saltem mentalis; quod magis tenet, si ali- quid